

Letter 135: 17 March 1522, Wittenberg, Felix Ulscenius to Capito

The text of this letter is published in Hartfelder, 122-123.

Ulscenius Capitoni S. D.

Ubi heri a deductu domum redieram, evangelia per D. Martinum explicata reperi, quae tibi transmitto. Martinus cum Philippo suo hac hebdomada abfuere.¹ Necessum enim fuit Martinum ea, quae nuper a magistro Gabriele temere incepta erant, in tranquillum reducere.

5 Praefuit, illis absentibus, disputationi Amstorff, cuius pronunciata contra papam sonabant, ipsum nempe Antichristum esse hoc argumento, quod se omnibus praeferret. Cui psalmorum praelector resistens aiebat hinc non probari Antichristum. Nam se servum servorum scriberet; sed nugae. Caeterum themata ex 7 ca. Danielis erant adrepta, ubi dicitur Antichristi regnum semitres annos perduraturum tantum, adeoque opponebatur papam non esse Antichristum. Quod quidem
10 Augustinianus quidam solvit: Daniele loqui de revelato Antichristo, cui presens praelector subscribebat, nihil tamen adserens; se enim non esse prophetam dicebat. Iam annus elapsus, quo Antichristus veritatem evangelicam damnavit, quo revelari oportuit, et dimidius, restant duo residui anni. Ita ipsi simpliciter intelligunt, rem Deo committentes tamen. Quis enim aliquid certi adfirmet, cum filius ipse Dei haec ignoret?

15 Vale, benignissime praeceptor. Gratiam et pacem Christi tibi exopto. Wittenbergae. 17 Martii an. 22.

Felix Ulscenius.

¹ Hartfelder: adfuere; ms: abfuere.